Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3327
Quelle:
Copyright:

Praepositus subpeditaverat, invenit; nos vero *Cod.* DCCCCLXXIII. una cum ipsa Oratione indicabimus. Ex hac oratione noto, *Paynium Pragae* habitasse in Coenobio *Emauntino*, in quo Monachi Benedictini postea ad D. *Nicolaum* traducti et nunc aboliti, lingua *Slavica* in sacris utebantur; ait enim *Polemarius*, nobis *fol.* 225. p. 2. *Nec credo, quod si adueniat sibi bona hereditas — portaret eam in communi cum fratribus monasterij sclauorum in praga cum quibus viuit.* Quatuor hae Disputationes a quatuor Nationum viris *Ragusino*, *Confluentino*, *Cameracensi* et *Barcinonensi* habitae et in *Basnagiana Canisii* editione *Amstelod.* in T. IV. p. 447. repositae hac in *Cod.* nostro subscriptione miniata gaudent: *In die sancti Clementis Anno domini &c. M°. CCCC° Sexagesimo Septimo &c. 1.467. Per me Matbiam Hamfuess tunc temporis morantem in Adriach.* Oppidum hoc exiguum est *Stiriae Austriam* versus aliquot leucis a Metropoli *Graecio* distans.

V. *fol.* 247. *Lumen confessorum Vocatur hec doctrina omnibus penitentiarys et confessoribus ad sciendum necessaria per me pauperem hominem andream* (didaci de Escobar O. S. B.) *byspanum minorem penitentiarium et Megaren. episcopum et pontificem ex multis dictis magistrorum theologie et decretalium ac decretorum in multis locis dispersis et varijs determinationibus compilata et facta Rome dum ad partes byspanie velem ire dimissa omnibus dominis meis Cortesanis* (Curialibus) *et presertim curam habentibus animarum pro speciali valete, cum non babeam quare ibidem residere ac ministrare. Anno domini* M° (CCCC) XXX°. *oblata per me Reuerendissimo in cbristo patri et domino Jordano de Vrsinis Cardinali et episcopo Albanen. dignissimo maiori ecclesie penitentiario.* Quinque sunt Libelli Partes, quibus absolvuntur ea, quae ad animorum regimen pro sacro tribunali pertinent. Cum jam Sec. XV. aliquoties cum *s. l. et a.* tum nominatim *Daventriae* 1490 et 97. typis excusus fuerit, nil addam, nisi quae in fine leguntur. *Explicit tractatus seu doctrina que vocatur lumen confessorum — per indignum penitentiarium minorem Romane curie — Andream didaci Hyspanum ordinis sancti Benedicti olim ciuitatens. Post aiacens. Nunc vero antiquum et pauperem episcopum megaren. que ecclesia fuit in Prouincia Grecorum et terra atbenien. ac commendatorem Monasterij Sancti Jobannis de Penderato ordinis Sancti Benedicti Portugalens. dyoc. Orate et pater noster dicite pro eo quicunque studetis sex legitis in boc libro.*

DCCCCLXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 150. f. currente calamo scriptus ad Concilium *Basileense* pertinet. Inest I. *Contra secundum articulum Bobemorum Collacio preambula posicioni pro veritate* 298